
G. Green:
Pentas quæstionum historicarum.
1670.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

1-507

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 02058 8

+REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

6.

1,-507

ביהוה

PENTAS QVÆSTIONUM HISTORICARUM,

Sub

Patrocinio

Nobilisſimi atq; Excellentisſimi VIRI

DN. GEORGII GREENII,

Hiſtoriarum Prof. Publ. Ordinarii,

Publico Examini ſubjicitur

à

M. JOHANNE SIMONE FRANCO,

Mœno-Francofurtenſi.

ANNO cIↃ IↃC LXX. d. 25. Junii, hor. mat.

In Auditorio majori.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

35.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

VIRO
GENEROSO, MAXIME STRENUO,
NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,
ATQUE AMPLISSIMO,

DN. PHILIPPO VVILHELMO,

A GÜNTERRODE,

ILLUSTRIS REIPUBLICÆ MOENO-FRANCOFURTANÆ

SCABINO & SENATORI
Graviſſimo &c.

Patrono & Studiorum Promotori Beneficentiſſimo.

Salutem & obſervantiam!

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

DOMINE GENEROSE,
PATRONE IN PAUCIS!

NOn una eſt cauſa impetus mei audacisſimi in ſeria non minus, qvàm gravia PERSTRENUÆ TUÆ GENEROSITATIS. Qvantus enim in me TUUS ſemper fuerit Affectus, beneficia teſtantur abunde, qvibus à juventutis flore, me non tam affeciſti, quàm obruiſti; ut mortalium meritò forem ingratisſimus, ſi ſterili memoriâ & perpetuo ſilentio illa eſſem transmiſſurus. Intercesſit ex eo cum Dn. Filio, Domino HECTORE WILHELMO, Juvene, Virtute, Eruditione & Genere Nobilisſimo, domi pariter ac in illuſtri Univerſitate Lipſienſi amicitia arctior, qvæ hoc pignore inter abſentes ambos confirmanda videbatur. Accedit & ſingularis in ſtudia, ſtudiorumq; cultores favor, qvo eos ita proſecutus es, ut non ſolùm dictũ *Nobilisſimum* DN. Filium (primam TUI virtutem) ſtudio politico conſecrares, literis rarioribus imbutũ in Galliam &c. mitteres, & miſſũ in Univerſæ GENEROSÆ Familiæ decus ac ornamentũ, imò Totius Patriæ ſplendorem & (qvod ominor & precor) columen aliqvando, revocares; ſed ut etiam Studioſis aliis ſuccurreres, eos manu auxiliatrice juvares & impoſterum, ſi Jehova propoſito, adhuc intra pectus clauſo, benedixerit, ſurſum nitentibus potenter opem ferre decerneres.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

Atqve hinc facile cognoſces PATRONE MAGNE! non civilitatis eſſe externæ, qvòd GENEROSO TUO, de Patria, meritiſſimo, NOMINI qvæſtiunculas, haſce Hiſtoricas dedicaverim; ſed officii ac pietatis, qvæ pro acceptis bonis non ita gratias agit, ac agere ſe non poſſe inſcriptione hâc publicâ fatetur publicè. TU modo, DOMINE GENEROSE! animo eas excipe benevolo, inque æternum debitæ obſervantiæ teſtimoniũ ſerenâ intuere fronte: atq; cum GENEROSA DOMINA Uxore, Filiisq; & Filiabus dilectiſſimis, in ſacroſancta Trinitate VALE diutiſſimè, Dnq; *Hectori VVilhelmo*, Amori ſincero, meo nomine ſalutem impertire plurimam. Scribebam ex albo Monte, Anno S. R. cIↄ. Iↄc. LXX. 12. d. Junii.

MAXIME STRENUÆ
TUÆ
GENEROSITATIS

Cliens
officioſiſſimus

JOHANNES SIMON Franck/
L. A. M.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

PENTAS I.

QVÆSTIO PRIMA.

An Abraham ante vocationem in ur Chaldæorum coluerit idola?

§. 1.

ÆGyptios ignem dixiſſe Vulcanum; eumq́; DEI loco venerandum, qvod multum ad hominum, aliarumq́; creaturarum generationem & exactum incrementum contribueret, ex *lib. 1. Diodori Siculi* conſtat: Sic *Perſas* habuiſſe ingentia qvædam ſepta pyrethea, in qvorum medio ara fuerit, in qva Magi & cinerem multum & ignem perennem ſervarent, *Strabo* teſtis eſt. Atqvi idem feciſſe Chaldææ incolas, negare non audent viri clariſſimi. Seldenus &c. Num verò Abraham Patriarcha etiam ex numero iſtorum pyrolatrarum, aut Idololatrarum aliorum fuerit, qværitur.

§. 2. Magna eſt in utramq; hujus qvæſtionis partem magnorum virorum cohors. Negativam tuentur præter Joſeph. l. 1. An. c. 7. *Judæi* nonnulli alii, qvorum commentum, à Pontificiis receptum, ex *Lyra Hieronymus*, comment. in Geneſin, & Dn. D. *Strauchius* in dubiis biblicis referunt. *Thare*, fabulantur, *idololatra exiſtens accuſavit Abram, filium ſuum ipſi Nimrodo, propter qvod Abram de præcepto Nimrodi projectus eſt in ignem. Aran autem frater ejus aſſiſtens, dicebat in corde ſuo: Si vicerit Abram illæſus ab igne, ſeqvar ejus fidem: ſin autem, colam ignem ſicut alii. Cum igitur Abram virtute divinâ liberaretur, illæſus ab igne & qværeretur Aran de ejus cultu, reſpondet velle ſeqvi Abram. Tunc projectus eſt in ignem & ibi mortuus eſt, qvoniam non fuit tantæ fidei, ſicut Abram, ut patet ex prædictis. Ex Patrib.* Auguſtinus, Chryſoſtomus &c. *E Pontificiis* Delrio, Pererius, C. à L. Salian. Toſt. Cajet. &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

§. 3. Rationes, qvas in medium afferre ſolent, ſunt: Qvod Neh. IX. 8. dicatur, Deum inveniſſe cor Abrahæ נֶאֱמָן fidele. Reſp. Sed diſtingvant tempora, & concordabit ſcriptura. Sc. intur Nunc & Tunc. Verum eſt, Abrahamum non coluiſſe idola *Nunc*, cum Deus ipſius cor inveniret fidele, poſt nominis ſc. immutationem atqve converſionem; coluiſſe vero *Tunc*, cum adhuc degeret in Ur, nullum videtur dubium.

Deinde qvod ſic periiſſet Eccleſia, caſu nunqvam in hac vita futuribili, ut nimirum Deus ſponſus ſit ſine ſponſa, caput ſine membris. Reſpondet ad hoc argumentū Theologi, ad qvos ſpectat: Neq; fuiſſe, colente licet *Abrahamo* idola. Erant enim adhuc alia veræ Eccleſiæ membra *Sem. &c.* & ſi nullū oſtendi potuiſſet, tamen inde non ſeqvitur, deſiiſſe Eccleſiam veram. Sæpe enim fugit pericula & perſecutiones, ut haut raro, ſec. *Hilarium*, in cavernis & ſpeluncis lateat, & ad tempus ſileant confeſſiones publicæ. Sicut ipſi Apoſtoli aliqvamdiu præ metu Judæorū ſeſe tenuerūt clauſos *Joh. XX. 19.* Qvoties qvæſo delituit Athanaſius? aut etiam fugit?

Deniq; qvod Judit. v. 6. 7. habeatur: *Iſraelitas habitaſſe prius in Meſopotamia, qvia noluerunt ſeqvi Deos patrum ſuorū, qvi fuerunt in terra Chaldæorum, & exiiſſe ex via generationum ſuorum & adoraſſe Deū cœli &c.* Reſp. Hæc de *Abrahamo* minimè eſſe dicta, ſed de *Jacobo*.

§. 4. Nobis affirmativa placet, ſecutis rationem & teſtimonium divinum. Teſtimonium perhibent diviniſſimi Hiſtorici Moſes & Joſua. Hic c. XXIV. 3. Ille c. XII. 1. Geneſis. ubi diſerte referunt Iſraelitarum Patres Tharam, patrem *Abrahæ* & *patrem Nachoris* ſerviiſſe Diis alienis, exiiſſe autem *Abrahamum* è terra ſua, certe non corpore ſolùm, verùm etiam animo. Nec probabile eſt, Abrahamum natum & educatum à parentibus Idololatris, cumqve fratribus Idolatriæ immerſis, alieno cultui innutritum non eſſe, aut unqvam à Juventutis flore ad exitum ſuum cum vulgo peregiſſe ſacra. Conferantur beatiſſimus Dn. D. *Gerhardus*, & Magnificus Dn. D. *Calovius*, ad XI. & XII. Geneſ. ut & Clariſſimus Dn. *Pfeifferus*, Profeſſor in hac Leucoride Celeberrimus, Philologus Excellentiſſimus, in collegio biblico ad eadem loca. Autores qvoq; nobis ὁμόψηφοι, qvos ibidem numeroſè citat.

§. 5. *Excipiunt* (1) Per Patres Joſ. XXIV. intelligi neminem præter Tharam, Numerum pluralem apponi ſingulari per Enallogen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

gen. ut locorum alibi. *Gen.* XLVI. 23. Ex. I. 10. Jud. I. 22. Pſ. CXIX. 103. Hoſ. XII. 11. &c. (2) Sic anſam dari diſputationibus periculoſis, cur Deus inter multos Idololatras evocaverit Abrahamum Idololatram? Aliis verò ſimile beneficium non præſtiterit? Sed reſpondemus ad poſterius, qvod alias ad converſionem Pauli Theologi noſtrates Calvinianis. Ad prius: Diſparem eſſe ll. cc. & Joſ. XXIV. rationem, ubi citra neceſſitatem qværitur enallage, non facilè admittenda.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Chriſtus & Diſcipuli paſcha ϛαυρώσιμον *uno eodemq́; die celebraverint cum Judæis?*

§. 1. ADeo ſatisfactum eſt huic qvæſtioni ab Architheologo in Eccleſia Lutherana, ſummè Reverendo Dn. *D. Calovio*, Patrono, Hoſpite & Præceptore filiali obſervantiâ, dum vivo, venerando, ut difficulter aliqvid addere poſſis. In *annotationibus Anti-Grotianis ad Matth. XXVI. 7.* allegat *Alcuinum*, *Thomam de Aqvino*, *Joh. Gerſon.* qvatuor illos Cardinales, *Toſtatum Abulenſem*, *Franciſcum Toletum*, *Bellarminum & Baronium*, *ut & Cornelium à Lapide*, *Barradium & Eſthium*: nec non è Reformatis, ut dici volunt, *Brugthonum*, *Annotatores Anglicanos ultimos & Cloppenburgium*: è noſtris deniq; *Caſp. Eraſmum Brochmand.* p. m. utpote propugnantes affirmativam. Qvâ verò inconvenientiâ, ibidem videſis; ut & in *collegio Chronologico*, cui heſterna lux feliciſſimum finem impoſuit, ubi qvæſtio hæc ex profeſſo tractatur & firmiſſimis atq; infallibilibus argumentis ejusdem Negativa confirmatur.

§. 2. Sanè ſi Chriſtus cum Judæis celebraſſet paſcha ϛαυρώσιμον, celebraſſet illud poſt crucifixionem ſuam atq; mortem. Hoc verò, qvam dictu foret abſurdum, vel cæcus palparet. Judæos enim feſtum ſuum habuiſſe poſt mortem Salvatoris, apertè teſtatur Johannes Evangeliſta, hiſtoriæ ſuæ cap. XIX. Ἰȣδαῖοι inqvit, ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τȣ̃ ϛαυρȣ̃ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ. ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν. (Nondum igitur celebraverant paſcha) ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τȣ̃ σαββάτȣ. Unde evidentiſſimè conſtat, imminuiſſe adhuc feſtivitatem paſchatis cum Chriſtus jam expiraſſet, Sabbatum hoc magnum alius nullus eſt dies qvam primus azymorum. Et *cap. XIII. 14.* dicitur Jeſus noſter condemnatus in paraſceve (adeoqve ante feſtum) paſchatos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

paſchatos. Chriſtus ergo neqvaqvam cum Judæis tum edit agnum paſchalem, qvod etiam ex Joh. XVIII. 28. clarum eſt, ubi Evangeliſta ait: noluiſſe Judæos intrare in prætorium cum mane Jeſus à Caipha in prætorium adductus eſt, ne contaminarentur, ἀλλ᾽ ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα ſed ut manducarent paſcha. Nondum ergo comederant, qvod ediſſe Chriſtum jam cap. XIII. 1. ſcripſerat idem. Accedit & hoc, qvod cruci affixerunt Chriſtum Judæi, poſtqvam cum diſcipulis cœnaverat; Si autem habuiſſent paſcha ſuum, abſtinuiſſent ab omni labore tali.

§. 3. Dicis: *Aut itaq; Judæos procraſtinando Paſchatos celebritatem, reverentiam debitam adverſus legem Dei haut adhibuiſſe: aut Chriſtum ipſum feſtum celeberrimũ ac ſanctiſſimũ, anticipando tempus ſtatutum, νομικῶς ac ex lege non egiſſe.* Nullum videri aſſumendũ: Reſp. utiq; unum. Priùs ſcilicet: nimirum qvod Judæi paſcha in craſtinum differendo legis normam fuerint transgreſſi, qvos ipſe Chriſtus ſuo ſuorumq; diſcipulorum exemplo corripuit, qvem ſine omni dubio accuſaſſent Phariſæi, ſi ille idem peccatum commiſiſſet. Chriſtum oportuit implere omnem juſtitiam Matth. III. 15. ideoqve miſit eum in mundum Pater cœleſtis, non ut legem ſolveret, ſed adimpleret. Gal. IV. 4. qvam non impleviſſet, ſed violaſſet, & ita comminationi divinæ Num. IX. 13. obnoxius fuiſſet, ſi alio, qvam in lege definito, tempore ſacra paſchalia peregiſſet.

§. 4. Grotius ſe hic interponit, & ut cum Chriſto abſolvat à transgreſſione legis Judæos, diſtingvit inter paſcha θύσιμον, ſolenne, plenum, & μνημονευτικόν. *Paſcha θύσιμον dicit celebrari non potuiſſe, niſi uno in loco, qvo populus omnis conveniret, qvi locus à Davidis temporibus fuit Hieroſolyma. In eo agnum eſſe mactatũ, non privatim à patribus familias, ut multi exiſtimant, ſed à ſacerdotibus poſt conſtitutum ſacerdotium. Hoc paſcha habuiſſe ſicut locum præfinitum, extra qvem celebrari non poterat, ita & tempus deſignatum: Nempe inter duas ὀψίας decimæ qvartæ diei exeuntis & incboantis decimæ qvintæ &c. Paſcha μνημονευτικὸν verò ob bellũ & diſſita Judæorum loca eſſe in locũ paſchatis θυσίμου ſurrogatũ & voluntarium magis, qvam lege præceptũ, nec loco nec tempori adſtrictũ, vocatumq; paſcha ὁμωνύμως &c.* Hoc ait, non illud, celebraſſe Chriſtũ. Verùm ita poſtulabitur violatæ legis reus, qvod non verum paſcha, ſed ὁμωνύμως tantum, in lege non præceptum, ſed ex ſuperſtitione Judaica ortum, celebraverit.

Plura

Plura dabunt ex Theologis noſtris, *Gerhardus*, *Hunnius*, *Chemnitius* &c. Chronologis, *Calviſius*, *Butingius*, *Caſaubonus*, Philologis *Munſterus*, *Capellus* &c. Nos cum Excellentiſſimo D. D. *Strauchio* qvæſtionẽ hanc verbis illuſtriſſimi *Scaligeri*, qvę extant *L. VI. de emend. temp.* concludimꝰ. *Primâ azymorum Chriſtus comedit paſcha, Matth. XXVI. 17. in qva immolabat agnum Marc. XIV. 12. Sed qvomodo primâ azymorum feriâ qvintâ, cum poſtridie eſſet prima azymorum qvarta decima Niſan, feria ſexta: Interpretatur Lucas* ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα *c. XXII. 70. Sed Judæi* ἔθυσαν *qvidem poſtridie, at non utiq; ᾗ* ἔδει θύειν.

QVÆSTIO TERTIA.

An Adultera, cujus mentio fit Johannis VIII. 5. fuerit uxor ducta? Negatur.

§. 1. RAtio negationis noſtræ deſumitur à pœna lapidationis, qvàm *uxores ductæ* ob adulterium non incurrêre; ſed (præter Idololatras, Deut. XIII. 10. & XVII. 7. ſeqq. Blaſphemos, Lev. XXIV. 14. Profanatorem Sabbati, Num. XV. 35. atqve alios, qvos exponunt Talmudiſtæ *Sanhedrin* c. 7.) *deſponſatæ*, eæqve adhuc virgines in domo Patris, (*nam qvi ſtuprum infert adoleſcentulæ deſponſatæ, non tenetur* pœnâ lapidationis, *niſi ſit adoleſcentula virgo deſponſata, atq; adhuc in domo patris ſui.* Sanh. l. c.) qvarum ſupplicium expreſſè in lege (ad qvam etiam Scribæ & Pariſæi h. l. provocant, dicentes: Ἐν δὲ τῷ νόμῳ Μωσῆς, *Deut.* ſc. XXII. 23. & 24. ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι, ſeu, ut in aliis exemplaribus λιθάζειν, qvin & λιθάζεσθαι) determinatur, ut ſit סְקִילָה Lapidatio. Hinc *Paraphraſtes Chaldæus Jonathan Levit. XX. 10.* ſic reddidit & declaravit: *Et vir, qvi adulterarit mulierem viri deſponſatam, aut qvi adulteraverit mulierem viri ductam, occidendo occidetur, & qvidem propter mulierem ductam & nuptam, ſtrangulatione ſudarii, propter deſponſatam, lapidatione, tam adulter, qvàm adultera.*

§. 2. Stante hâc ſententiâ noſtrâ, qvod adultera iſta fuerit virgo deſponſata, ſtabit Ebræorum regula כל מיתה האמורה בתורה סתם אינו אלא חנק regulæq; ratio, qvod, *ubicunq; capitale ſupplicium non definiatur, non liceat tibi ad*

gravius trahere, ſed ad levius, qvod חנק ſtrangulatio eſt. Jam cum neqve in univerſo ſacro codice, neqve in ritualibus aut Talmude, ullum de lapidandis adulteris (uxoribus ductis) reperire ſit præceptum aut veſtigium, credibile nobis non eſt, adulteram, de qva nobis eſt qvæſtio, fuiſſe mulierem nuptam. Ita qvoqve excuſabuntur Judæi ab ignorantia, qvo ſupplicio tempore Salvatoris punirentur adulteria.

§. 3. Si dixeris & *Suſannam* (cujus tamen hiſtoriam nec Judæi recipiunt, teſte *R. Davide Gans in Zem. David. P. II p. 10.* nec Chriſtiani pro canonica habent, imo ne vera in omnibus, ob ἀσύςατα nonnulla, qvæ complectitur) fuiſſe condemnatam, ut lapidaretur lapide: Scito, Tibi incumbere affirmationis probationem: Et ſi omnino fuiſſet, negaremus tamen fuiſſe ad mortem, ſed tantum ad ignominiam, uti phraſis *lapidari lapide* qvandoq; uſurpari amat. e. g. Joſ. VII. 25. Interprete *R. Davide Kimchi ad Ezech. XVI. 40. & h. l.* Cætera, qvæ pro aſſertione hujus qvæſtionis habebunt ſpeciem, diſcutiemus cum Deo in diſcurſu publico. Interim videſis Cl. Buxtorfii Fil. *Diſſertationem de ſponſalibus & divoriis* §. 25. Sixt. Amamæ *Antib. l. III. p. 610.* Dilherri *Eccl. Syr. N. T. p. 224.* Noſtri Pfeifferi *Antiqvitatum ſacrarum Dec. II. poſ. 2.* §. 5. *Dec. II. poſ. 4.* §. 3. Coccejum *ad Sanhedr. c. 10. p. 79.* Sigonium *de Rep. Ebræorum l. VI. c. 8.*

QVÆSTIO QVARTA.

An ſerpens, Protoplaſtorum ſeductor, ante maledictionem Jehovæ, erectus inceſſerit, nec, ut poſtea, ſupra pectus ſuum fuerit graſſus? Aff.

§. 1. VT teſta diu ſervat odorem, qvo ſemel recens eſt imbuta; ita ab imbibitis erroribus non facile revocabis hæreticum. Cumulos cumulabit antè, & divinæ veritati contradicet in faciem, qvàm digito compeſcat labellum. Non allegabimus è longinqvo petita exempla. Nemo eſt, opinor, vel tantillum verſatus in hiſtoria Moſaica, cui non primâ ſtatim fronte planè & perſpicuè ſit revelatum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

ſatum, ſerpentem, Evæ ſeductorem, ante lapſum non repſiſſe, ſed inceſſiſſe erectum, dubio procul pavonum inſtar, vel gallorum gallinaceorum, conjiciente B. Luthero: (α) Capite enim Geneſis tertio verſ. 1. & 14. ſummus Hiſtoricus ſerpentem refert inter beſtias agri, à qvibus cap. I. 22. 24. & 26. reptilia & aqvatilia diſtinxerat. (β) Ita Gen. III. 14. luce patet meridianâ clarius, cum ſol ſplendet maximè, non naturæ ſed maledictionis eſſe, qvod ſerpens ſerpere debeat humi. Sicut Adami causâ, QVIA auſcultavit voci mulieris, & QVIA comedit de ligno, maledicta eſt terra, ſicut ille in laboribus comedet ex ea cunctis diebus vitæ ſuæ, in ſudore vultus veſcetur pane ſuo, eiqve ſpinas & tribulos germinabit terra, QVIA, QVIA hoc fecit: Ita & ſerpens (non Diabolus ut Pareus nugatur) repat humi in ſordibus, terrenis nec ad cœleſtia amplius attollat caput, QVIA erexit ſe ſe ad hominem ſeducendum: QVIA hoc feciſti, inqvit Jehova, ſuper ventrem tuum gradieris. Qvæ certe omnia minimè qvadraſſent in ſtatum integritatis. Nec (γ) abſonum eſt ſerpentes dicere pedeſtres & erectos, cum tales hodie dari memoriæ tradant Phyſici, & Plinius l. II. c. 47. teſtetur, viſos ſerpentes qvosdam anſerinis pedibus fuiſſe. (δ) Tandem accedit Baſilii M. Lutheri, Didymi aliorumqve veneranda autoritas, qvorum laus magna in Evangelio.

§. Attamen non erubeſcit Socinus c. Pucc. de ſtat. prim. hom. cap. X. fol. 278. nobis & veritati aſſertæ opponere ſeſe, inq; contrariam abire ſententiam. Qvâ verò fini, non diffitetur ipſe, qvando l. c. ita ſcribit: *Minus propriæ peccati pœnæ fuerunt illæ, qvæ etſi homo non peccaſſet, nihilominus extitiſſent, aut jam extabant, ut eſt, qvod terra producat ſpinas & tribulos, & homini colenda ſit, ſi ex ea ad vitam ſuſtentandam fruges percipere velit. Hujus generis pœnas dicere poſſumus, fuiſſe eas, qvæ ſerpenti & mulieri fuerunt decretæ. Nam & ſerpentem ſuper pectus ſuum ingreſſum antea fuiſſe, ac pulverem comediſſe, & mulierem, etiamſi non peccaſſet, cum dolore filios parituram & homini ſubjectam futuram credendum omnino videtur. Hæc tamen omnia benigniſſimus Deus peccati pœnas eſſe voluit, ſatis habens, id, qvod jam naturale erat, neceſſarium efficere, & pœnæ loco eſſe, qvod à naturalibus malis eos, qvi peccaverant, non liberaſſet.* Scilicet ut impugnet, qvòd primus homo ante peccatum juſtitiam aliqvam ori-

 ginalem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

ginalem habuerit. Notante maximè Reverendo Dn. D. Scherzero, Patrono magno & Hoſpite qvondam benefico, in collegio Anti-Sociniano, pag. 236. &c. Atqve ſic itur de errore in errorem. Nos unicè ſacris literis inſiſtimus, & ex illis confidenter & conſtanter aſſerimus, naturale fuiſſe ſerpenti *ἐνεργουμένῳ* ire pedibus erectum, uti contra adverſus fabulam platonicam, ortam ex Moſaici textus *παρερμηνείᾳ* nunqvam non negabimus eundem cum animalibus irrationalibus reliqvis loqvendi facultate fuiſſe præditum: qvo etiam Joſephus, lib. 1. Antiq. c. 2. inclinat.

§. 3. Prolixus eſt in deſcribendis omnibus R. *Elieſer*. In פרקי c. XIII. *Angelos* tradit *miniſterios iniiſſe conſilium contra Adamum, ut peccaret contra Creatorem ſuum. Fuiſſe Sammaelem, Principem magnum in cœlis, & ſancta animalia, & ſeraphim ex 6. alis vel turmis; Atq; Sammaelem ex duodecim aſſumſiſſe conſortium ſuum, & deſcendiſſe, viſurum omnes creaturas, quas condiderat S. Ben. Sed non inveniſſe aſtutiorem ad malefaciendum quam ſerpentem. Hujus ſerpentis Figuram fuiſſe veluti cameli: adſcendiſſe ei & inequitaſſe illi Sammaelem.* &c. cap. ſeq. XIV. *Sammaelem verò & turmam ejus præcipitavit è loco Sanctitatis ſuæ ſeu cœlis S. B. atqve amputavit ſerpentis pedes, ac maledixit illi præ omni animali ac beſtia. Statuit die illo ut ſemel ſeptimo anno exueret pellem ſuum magno cum dolore, & ſerperet inteſtinis ſuis ſuper terram, cibus verò ejus commutaretur in viſceribus ejus in pulverem, & fel aſpidum atq; mors in ore ejus eſſet.* Huic fabulæ conſentit *Maimonides* מורה נבוכים P. II. c. XXX *Serpentem*, inquiens, *illum equitatum fuiſſe, quantitatem ejus inſtar cameli, & ſeſſorem ejus fuiſſe illum, qui decepit Evam, huncq; ſeſſorem fuiſſe Sammaelem* quod nomen abſolutè uſurpant de Satana. Item Autor Zennorenna fol. m. 7. col. 4. ad verba עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ Auff dein Bauch ſolſtu gehn. Gen. III. 14. den die Schlang hat vor vir Füß gehat / aber itzundert hat Hakkadoſch baruch hu (Gott) Malachim (Engel) geſchickt/ die haben abgehackt ihre Füß von der Schlang. Hic cum R. Joſua Levita in הליכות עולם fol. 180. abſciſionem (non pedum & manuum ut ידיו ורגליו vertit L'Empereur, ſed) pedum anteriorum & poſteriorum tribuit Angelis, Elieſer verò Deo. Nos non inquirimus in ſtatum ac formam hujus ſerpentis cum Judæis & Judaizantibus curioſi, malumus *ἐπέχειν* ubi

ſacra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

ſacra ſilet hiſtoria, quam otioſis hisce indulgere ſpeculationibus, & cum Beda ſtatuere habuiſſe eum vultum virgineum. Conſule Dn. D. Schertzerum Noſtrum. Trifol. Orient. pag. 100. & 102. Conrad. Aslacum in Ethica Chriſtiana pag. 502. atq; Autores allegatos ſupra.

QVÆSTIO QVINTA.
An Regia cadavera fuerint ac Ebræis combuſta?

§. 1. ITa opinantur Hieron. Magius *lib. III. miſcell. c. XI.* Georg. Hornius *ad lib. I. Sulpitij pag. 190.* Lyra, vulgatus & Pagninus, reddentes verba Jerem. כן ישרבו לך ſic comburent TE, aliiq;, etiam ex noſtratibus, qui ſuæ ſententiæ fundamentum ponunt (α) Regem *Saulem* ejusq; filios, quorum ab hoſte ſuſpenſa cadavera combuſiſſe leguntur Jabeſitæ *1. Sam. XXXI. 12.* Sed factum hoc ſine exemplo, cum regulam non fecerit, in exemplum imitationis tractum non fuit. Facinus erat prorſus peculiare cujus variæ dari potuerunt cauſæ *Reverendiſſimus Dn. D. Geierus in tractatu de luctu Ebræorum cap. VI. §. 4. p. 108. ſeq.* tres recenſet: *Vel,* ait *ideo cadavera igni diſſolvere conſultũ opinati ſunt, ne Palæſtini, comperto illo facinore, effoſſisq; denuo cadaveribus, novam illis decernere aut inferre poſſent ignominiam, eademq; palã rurſus dehoneſtare; vel ſaltem Jabeſitæ peculiare quid, gentibusq; aliis conforme exeqviarum genus, elegerunt circa primũ huncce regem, qualem ante hac neminem Iſraelis populus habuerat, cujus proinde tumulandi rationem genuinam videntur conjicere adhuc non ſatis potuiſſe; accedit, quod alias iidem hi Jabeſitæ non parum à reliquis ſe alienos præbuerint Iſraelitis, adeo, ut cum urbes univerſæ atq; ſingulæ ad expugnandos Benjaminitas convenerint, hi tamen cives ſoli ſe ſubduxerint. Jud. XXI. 8. ut hac ratione non exiguam ſingularitatis, aut cum gentiliſmo colluſionis ſuſpicionem de ſe præbuerint. Quid itaque mirum, ſi cum primo hoc Iſraelis rege inuſitatum quoq; aut vicinis forte gentib. receptum ſepulturæ genus, introducendum ſunt arbitrati.* Qvartam (à neceſſario) profert *Excellentiſſimus Dn. D.* Qvenſtedt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

ex *Comment.* Sanctii *ad h. l. tractatu de antiquis ritibus ſepulchralibus pag. 160. & 161. Cum aliquot*, verba ſunt Sanctii, *dies cadavera illa pependiſſent in muro, aſpirabant jam gravem aliquem & intolerabilem halitum, qvem nec ipſi, qvi ex muro ſuſtulerant ferre poſſent, neq; alij ad carnes illas regii cadaveris* ἀκεφάλȣ *fœtentes & putridas exeqviales honores obire ſuſtinerent. Qvare commodum viſum eſt, imo & neceſſarium, nudare carnibus oſſa, qvibus in patria regio more parentarent, & carnes incendio conſumere, ne quid ſecum tetrum & fœtidum adducerent, qvod Regi futurum eſſet ignominiæ.* Qvintam deniq; (ab honeſto, qvam etiam *Sanctius* dederat ut ex modo dictis liqvet) *Kimchi*, apud *Dilherrum* Electorum *lib. II. cap. XXIV. pag. 325. qvi cadavera illa* inqvit *fuiſſe uſta, quod jam computruiſſent, & à vermibus eſſent arroſa & occupata. Cum itaque indecorum eſſet, ea ita viſu & odore fœda condere: ideo oſſa carnibus exuta, fuiſſe ſepulchro repoſita.*

§. 2. Deinde ſuperſtruunt Reges (β) Aſſam *2. Chron. XIV. 14. &* (γ) Zedekiam *Jer. XXXIV.* nec non (δ) Joram *2. Par. XXI. 19.* Verum enim verò Reges hoſce pertinaciter ſtatuere combuſtos, eſt eos afficere injuria. *Ignominioſam fuit, quod Joſias oſſa hominum ſepultorum in altari Bethel cremavit.* Calvinus *in 1. Sam. XXXI. 12.* Moris erat judaici nihil accendere igne, niſi quod vergeretur vel in gloriam DEI, vel honorem proximi, vel deniqve in utilitatem ſui. Si qvid ad alium, qvàm hunc finem accendebatur, abominatio erat Deo: Jam certè nulla reduntaſſet in Deum gloria, ex crematione Iſraelitarum tam ſuperſtitioſa, qvi potius eam non tuliſſet, nec ullus in defunctos honor; qvis enim aliquem aucuparetur ex eo, qvod divinæ voluntati eſt contrarium? Nec in ſemetipſos utilitas; iisdem enim impenſis, qvibus ſuorum cadavera ſuccenſis rogis cremarent, potuiſſent ea in locis ſubterraneis & ſpeluncis ſepelire: Quod Ebræos etiam feciſſe vel Tacitus confirmat. Hiſtor. l. V. cap. 5. ut, præter eos, quorum jamdum mentionem feci, taceam B. Dn. Doct. Hülſemannum comment. ad Jer. Kirchmannum lib. III. cap. 5. pag. 248. 249. de funeribus Romanorum. Schickardum de jure regio pag. 165. Sixt. Amamam in Antib. bibl. pag. 737.

Cocce-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

Coccejum, Kippingium, aliosqve plurimos, qui multis idem teſti-
monijs probant & rationibus.

§. 3. Nos (ſiqvod verum videtur, fateri fas eſt) exiſtimamus, non paucos ex textus autentici verſionibus eſſe deceptos, ut in affirmativam ſint prolapſi. Inſpicientes enim hiſtoriam Aſſæ & Zedekiæ originalem animadvertimus non eos ipſos eſſe combuſtos; ſed ipſorum utenſilia (*Maimonides ultimo totius tituli* Eβel *paragrapho*) non cadavera, ſed aromata, eaq; in honorē Regum defunctorum.) Qvi honor denegatus eſt Joramo, 2. Chr. XXI. 19. qvia ambulavit in via regum Iſrael & fornicari fecit Jehudah & habitatores Jeruſalai, ſecundum fornicari Achab &c. v. 13.) Extat וישרפו לו & combuſſerunt EI, Aſæ & ישרפו לך comburent, TIBI Zedekiæ; non EUM, non TE, qvòd verbum שרף ſeqvente ל nunquam combuſtionis objectum notat, ut videre eſt apud Interpretes ex inductione omnium locorum. Deut. XII. 31. &c. Hinc etiam B. Lutherus vertit: Du ſolt im Friede ſterben. Und wie man über deine Väter / die vorigen Könige / ſo vor dir geweſen ſind / gebrennet hat / ſo wird man auch über dich brennen &c. Sie machten über Ihm einen Brand &c. Item und ſie machten nicht über Ihn (Joram) einen Brand wie ſie ſeinen Vätern gethan hatten. Qvæ verſio vel ſola fere ritum explicat combuſtionis. Nimirum *comburebant ſuper Regibus aromata & ſupellectilia* (Kimchi) *& lectum* qvidem, *ne in uſum cujusquam, qui ex regia proſapia non eſſet, aſſumeretur.* Abarvanellus. Sed diſputanda proponimus hæc, non prolixè deſcribenda: nec vacat.

§. 4. Superadunt etiam (ε) dictum *Amos* cap. VI. v. 10. & (τ) *C. Plinium Natur. Hiſtor. lib. VII. cap. LIV.* Verùm *Plinius* cit. loco verba facit de Romanis non Ebræis. Qvod Amoſem concernit; Is non loquitur de crematione cadaverum ut ſatis deduxit Dn. D. *Geierus* l. c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-507 4° 2058